



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiae Parisiorum, 1678

Daniel Poetica Paraphrasis Ad Prophetiae Ejus Caput XIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

15

D A N I E L
P O E T I C A P A R A P H R A S I S

A D
P R O P H E T I Æ E J U S C A P U T X I V .

AMISSA S Solyme deserti numinis ira
Flebat opes, raptamq; adytis penetralibus arcam
Fatalem imperio: patriisque à sedibus exul
Gens Hebræa diu expertum Babylone gemebat
Servitium. Quanquam Assyria floreret in aula
Dignatus mensis Daniel & regis amore
Præcipuo; captisque jugum sortemque levaret.
Ille quidem immensos pro religione labores,
Invidia procerum & vesanæ crimine plebis,
Perpessus: mortisque objecit sponte periclo
Sæpe caput. Seu cùm tumido parere recusans
Victori, statuæ cultus adhibere prophanæ
Egregios vetuit juvenes: seu cùm impia Medi
Edicta, infandasque ausum contemnere leges,
Projecere feris immane frementibus escam.
Sed meliora Deus servatum in tempora leto
Eripuit, longeque dedit præsciscere mente
Bella forent olim toto quæ maxima mundo,
Sceptrorumque vicem, & Christi immutabile regnum
Et nunc sacrilegos senior rescindere ritus.
Insistit; Belum imprimis, cui templa superbo
Mœnibus in mediis stabant immania luxu:
Inque diem ingentes ponebant farris acervos,
Balantumque gregem mensis, & grandia Baccchi
Pocula. Proh stolidas mentes & nescia veri
Corda hominum! vino Divum indulgere, feramque

*Erat autem Da-
niel conviva re-
gis, & honora-
tus super omnes
amicos ejus.*

*Erat quoque ido-
lum apud Babylo-
nos nomine Bel:*

*Es impendebantur
in eo per dies sin-
gulos, simile arta-
be duodecim, &
oves quadraginta,
vinique amphora
sex.*

Rex quoque colebat eum, & bibat per singulos dies adorare eum:

Porro Daniel adorabat Deum suum.

Dixitque ei rex: Quare non adoras Bel?

Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manufacta, sed viventem Deum, qui creavit caelum & terram, & habet potestatem omnis carnis.

Et dixit rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel vivens Deus? an non vides quanta comedat & bibat quotidie? Et ait Daniel aridens: Ne erres rex: iste enim intrinsecus luteus est, & forinsecus areus, neque comedit aliquando.

Et iratus rex vocavit sacerdotes

Ingluviem credunt epulis explere per umbras,
Quin etiam cum sol radiis recluserat orbem,
Ipse Asiae rector magna stipante caterva,
Summum ad delubrum gressus & dona ferebat:
Certatimque focis adolebant thuris odorem
Exemplo instincti proceres. Videt impia vates
Sacragemens: precibusque Tonantem & supplice cultu
Ipse palam offensum miseris placare laborat.

Non tulit hunc morem, despeetaque numina Cyrus
Dedecus esse suum questu testatus amaro:

Quin tu, inquit, mecum gentis quoque Belon adoras
Tutelam Assyriae? quo se tulit inclyta caelo

Corripiens terras Babylon victricibus armis;
Et Solymam Solymaeque Deum servire coegit.
Olli sedato respondet pectore vates:

Mortaline excusa manu me credere signa
Esse Deos, rigidoque jubes dare thura metallo?
Hunc sibi praecipiat, meruit qui solus honorem,
Vitae auctor vitaeque potens Deus. Illius aram
Fasque piunque mihi sacro aspersisse cruore.
Ille mare & terras & caeli condidit astra;
Regesque ac populos aequali jure coercet.

Ergo cassum animae, & vitali lumine egentem,
Natus ait Cambyse, putas, cui pocula rite
Stant sua, curvatæque gement sub lancibus aræ?
Subrisit Daniel: Et te, fortissime regum,
Vana superstitio specie ne fallat inani.

Namque nefas libare dapes laticemque Lyæum
Visceribus luteis simulacrum & corpore ahenō.
Nocturna exercent alii convivia mensis,
Supposti Belo; plebisque errore fruuntur
Muneribusque tuis hilares. His percitus heros

Infremit:

Infremit: Et patrios mihi magni numinis instar
 Juro, inquit, manes sacrataque busta meorum:
 Beli ignominiam, aut mentitæ crimina cœnæ
 Stat ferro ulcisci, letoque piare nocentum.

Assensit dictis vates, ultroque precatur
 Hoc velit ut perstare animo: simul alta petenti
 Atria se jungit comitem. Ruit obvia portis
 Turba sacerdotum, ramos felicis olivæ
 Pacalesque ferens vittas: quos ordine longo
 Natorum uxorumque greges, famulique sequuntur.
 At graviter spirans flammato pectore Cyrus
 Horrendam intentat mortem, si furta fateri
 Ambefasque dapes subductaque pocula Belo
 Abnuerint. Olli voces ad sidera tollunt,
 Implorantque Deos: tum cui facundia major,
 Atque instructa dolis ætas firmaverat ora,
 Antistes fatur regi: Suspecta fides est
 Quando tibi famulûm, nec jam sua protegit illos
 Relligio, fiuntque aliena fraude nocentes;
 Securi moriemur, & ipsa in tela ruemus.
 Sed nostro tamen ore finas unum ante rogari,
 Non inconcessum miseris. En protinus omnes
 Digredimur templo, vacuasque relinquimus ædes:
 Ipse aris fuetas epulas & vina repone,
 Clausuris obde fores, regalique imprime gemma
 Signa seris: tum si primos sub luminis ortus
 Ingrediens, Beli non omnia protinus ore
 Absumpta invenies; nihil est cur justa moremur
 Supplicia, & meritas pro crimine solvere pœnas.
 Sin autem Deus ipse sui certissimus auctor
 Indicia adventus non inficianda relinquet;
 Ne rex, ne caput hoc scelerum, fraudisque nefandæ

*ejus, & ait eis:
 Nisi dixeritis mihi,
 quis est qui comedat
 impensas has, moriemini.
 Si autem ostenderitis,
 quoniam Bel comedat
 hac, morietur Daniel,
 quia blasphemavit
 in Bel. Et dixit
 Daniel regi:
 Fiat juxta verbum
 tuum.*

*Erant autem sacerdotes
 Bel septuaginta, exceptis
 uxoribus, & parvulis,
 & filiis.*

*Et venit rex cum
 Daniele in templum
 Bel.*

*Et dixerunt sacerdotes
 Bel: Ecce nos egredimur
 foras.*

*Et tu rex pone escas,
 & vinum misce. & claudes
 ostium. & signa annulo
 tuo: & cum ingressus fueris
 mane, nisi inveneris omnia
 comesta à Bel, morte
 moriemur: vel Daniel qui
 mentitus est adversum nos.*

Primum inventorem, patiare impune per urbes
Grassari Assyrias, patrumque evertere sacra.

Contemebat autem, quia fecerant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & devorabant ea.

Factum est igitur postquam egressi sunt illi, rex posuit cibos ante Bel: Præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram rege: & egressi clausurunt ostium & signantes annulo regis abierunt.

Sacerdotes autem ingressi sunt nocte juxta consuetudinem suam, & uxores, & filii eorum: & comederunt omnia, & biberunt.

Sic illi orantes magnis clamoribus ibant
Ex adytis, fictum vultu simulante dolorem.

Quippe minas rident & inanem principis iram,
Occultis foribus confisi & limite cæco,

Qua furtim soliti clausis irrumpere tectis,
Prædarique cibos. Cunctis tamen æqua videtur

Conditio. Rex ipse fidem pactumque tueri
Pollicitus foedus, reparat convivia mensis.

At cinerem, gelidamque focus portare favillam
Illius ante oculos famulis edicit, & omne

Instituit vates conspergere pulvere templum
Succernens cribro: positisque in limine claustris,

Regali absistunt signantes ostia gemma.

Interea Titan ruit, & nox humida ponto
Exoritur, densa involvens caligine terras

Pontificumque dolos. Furtivo calle sub aram

De more elapsi subeunt matresque, nurusque,
Cum natis totaque domo: pictisque tapetis

Discumbunt super, & spondis florentibus ostro.

Tum demum genio indulgent, fusique per aulam
Implentur dapibus gratis, & munere Bacchi:

In partemque vocant Belum, crebrisque laceffunt

Non responsurum cyathis. Nec stulta filetur

Credulitas populorum, & multis utilis error.

Præcipue cladem vati & fatale precantur

Exitium, ignari quæ se fortuna maneret.

Parte alia eventus volventem incerta futuri
Exercent curæ, regemque infomnia turbant.

Nunc sortem senis Hebræi miseratur acerbam:

Pontificum nunc ille timet deprendere furta

Contemptusque suos : nec dulci lumina somno
 Claudere fas. Ergo primis ut sensit Olympum
 Auroræ radiis albescere , membra cubili
 Corripiens, templi Daniele ad limina ducit.
 Et prior : An notis , inquit, stant signa figuris,
 Commissique fidem cera inviolata tuetur ?
 Cui senior : Fraus omnis abest, ruæque, inclyte, portis
 Excubat, & servata aditus defendit imago.
 Vix ea protulerat; valvis bipatientibus ædes
 Reclusere. Oculos fert protinus omnia circum;
 Atque epulis mensas heros miratus inanes
 Exclamat : Magna est certe tua, Bele, potestas;
 Nec fictum horremus vacua sub imagine nomen,
 Cùm te votivis placamus odoribus, & cùm
 Pacem adytis & sancta humiles responsa precamur.

Jamque ibat supplex aræ impositurus honorem :
 Ast illum blande amplexus sub limine primo
 Continuit vates : Et, canæ inscripta favillæ
 Contemplator , ait, fatin' hæc vestigia Belo
 Conveniant? Divos, credo, Divasque vocavit,
 Excepitque suis infantia numina tectis.
 Sic ipse alludens. Cyro pudor iraque vultum
 Incendere : jocis nec respondere facultas.
 Quippe virum passim notos in pulvere gressus,
 Feminæisque immixta solo puerilia cernit
 Signa pedum. Manibus duci post terga revinctis
 Ergo omnes jubet; admotis subigitque fateri
 Ignibus. Hi trepidi & pallentes morte futura
 Detexere dolos, imoque in fornice monstrant
 Indeprensus oculis iter, opportunaque furto
 Ostia, nocturnis qua sucti adrepere mensis.
 Tum vero horrendum frendens rex intonat ore :

*Surrexit autem
 rex primo diluculo,
 & Daniel cum
 eo. Et ait rex :
 Salvane sunt si-
 gnacula, Daniel ?
 Qui respondit :
 Salva, rex.*

*Statimque cum a-
 peruisset ostium,
 intusus rex men-
 sam, exclamavit
 voce magna : Ma-
 gnus es, Bel, &
 non est apud te do-
 lus quisquam.*

*Et risit Daniel, &
 tenuit regem ne
 ingrederetur intrò:
 & dixit : Ecce pa-
 vimentum animad-
 verte, cuius vesti-
 gia sint hæc?*

*Et dixit rex : Vi-
 deo vestigia viro-
 rum, & mulierum,
 & infantium. Et
 iratus est rex.*

*Tunc apprehendit
 sacerdotes, & uxo-
 res, & filios eorum;
 & ostenderunt ei
 abscondita ostiola,
 per qua ingredie-
 bantur, & consi-
 mebant qua erant
 super mensam.*

Ergo etiam sceptris ausa est illudere nostris
 Perfida gens : potuitque sacri sub imagine ritus
 Hoc suadere nefas populis? maectentur ad aras,
 Perfundantque suo sceleratum sanguine numen.
 Et tu, cui potius parere haud falsa monenti
 Æquum erat, ô Daniel, meritas nunc exige pœnas:
 Sacra tibi, Belique arces, ipsumque remitto:
 Utere jure tuo, & commune ulciscere probrum.
 Sic fatur, gressumque furens penetralibus effert.

*Occidit ergo illos
 rex, & tradidit
 Bel in potestatem
 Danielis :*

Lictores tela expediunt; & vulgus inermum,
 Ut fors quemque tulit, generis discrimine nullo
 Ætatifve necant. Pars ad vestigia Divûm
 Ferales pateras tepido implevere cruore:
 Pars ritu pecudum cumulant altaria cæsis
 Corporibus: prunis alii torrentur, & usta
 Thura manu non sponte adolent. Clamoribus æther
 Personat horrendis & femineo ululatu.

Parte alia vates, quanquam clementia tristi
 Cæde super miserorum animos inflexit, & udis
 Extorsit fletus oculis, non segnior instat
 Sacrilegas imis evertere sedibus ædes.

*Qui subvertit
 eum, & templum
 ejus.*

Hortaturque suos, stipulas atque arida porro
 Ligna ferant, pinguique albentem sulphure silvam.
 Ipse facem dextra quassans, laquearibus ignem
 Cedro intertextis & odorifera cyparisso
 Subjicit: undantique extemplo vortice flamma
 Corripuit tabulas, & pictum fornice culmen.
 Jamque trabes & tigna ardent: jam summa ruinam
 Vulcano populante trahunt fastigia, & unâ
 Exculptæ circum effigies regumque Deûmque.
 Nec solidi Belum rigor æris, & æqua giganti
 Tutatur moles. Solio dejectus ab alto

Ipse suam vasto sub pondere proterit aram:
 Quo casu perfracti artus, humerisque revulsum
 Dissultat longe caput: at liquefactus ab igne
 It truncus rivis; flammaque ultrice metallum
 Exiit humano simulatum crimine numen.

Non tamen impietas Babylone extincta, nec omnis
 Continuo populi furor & vesana quievit
 Relligio. Taxi nigra densissimus umbra
 Lucus erat, juxtaque excisum in pumice vivo
 Antrum ingens, torvi sedes antiqua draconis:
 Quem Chaldaea metu magno percussa colebat
 Tollentem cristas, & sibila colla tumentem.
 Speluncae ante fores putri tepesacta cruore
 Fumat humus semper: moestisque altaribus extant
 Corpora caesa boum, & stillantia viscera tabo.
 Ille fero carnes circum depascitur ore
 Improbus ingluvie dira: caudamque revolvens
 Arrofis pigram super ossibus explicat alvum.

Venerat in lucum primi sub lumina solis
 Victor Achæmenides, votivaque sacra parabat,
 Magna voce vocans anguem: Et Deus ille profecto,
 Est, ait, ille Deus: vivitque & vescitur aura
 Ætherea: neque nos, Daniel, ludibria fallunt
 Pontificumque artes. Hunc ergo pronus adora:
 Neu differ meritos incendere thuris odores.
 Cui vates alto suspirans pectore fatur:
 Ah! mihi ne tantum spera suadere furorem
 O princeps, rituque animum scelerare nefando.
 Scilicet auctorem vitæ, immortalis & ævi
 Impius ejurem dominum desertor, ut atris
 Liventem squamis, & pastum cædibus anguem,
 Muneribus discam venerari & sanguine fuso?

Et erat draco magnus in loco illo & colebant eum Babylonii.

Et dixit rex Daniel: Ecce nunc non potes dicere quia iste non sit Deus vivens.

Adora ergo eum.

Dixitque Daniel: Dominum meum adoro, quia ipse est Deus vivens: iste autem non est Deus vivens.

*Tu autem rex da
mibi potestatem,
& interficiā dra-
conem absque gla-
dio & fuste.*

*Et ait rex: Do tibi.
Tulit ergo Daniel
picem & adipem,
& pilos, & coxit
pariter: fecitque
massas & dedit in
os draconis,*

&

diruptus est draco.

*Et dixit: Ecce quem
colebatis.*

*Quod cum audis-
sent Babylonii,
indignati sunt ve-
hementer:*

*Et congregati ad-
versum regem di-
xerunt:*

*Judaus factus est
rex, Bel destruxit,
draconem interfe-
cit, & sacerdotes
occidit.*

Quin potius fatalem urbi da tollere pestem,
Huncque levare metum populis. Nec tela requiro,
Horrendos dentes licet & rabida ora veneno
Exertet ferus, atque oculis vomat acribus ignem.

Annuit Isacidæ votis Cambyse creatus.

Ergo adipe & pingui medicatos unguine villos,
Idæamque picem ferventi incoxit ahenō:

Tum massam subigens molles conformat in offas,
Atque feræ immanes pandenti gutture hiatus
Objicit. Illa suum decepto corripit ore

Exitium. Pix namque arctis sub faucibus hærens
Luctantem abruptit discerpta per ilia vitam
Cum sonitu: latet immenso sub corpore tellus.

Hebræus magna senior cum voce profatur:

En cui vos tostas fruges & pingua, Medi,
Extā ferebatis pecudum. Formidine pulsa

Consulte, éque adytis propius jam quærite sortes.
Sic ille insultans. It mœstam fama per urbem

Interea, & centum ferit aurēs turbida linguis
Fanda infanda serens. Miscentur cuncta tumultu:

Lymphati coeunt passim per compita cives;
Matresque atque nurus thalamis se ferre relictis

Non mores, non ipse vetat pudor. Illicet omnes
Dira superstio stimulis haud mollibus egit

In furias. Jamque insanis ululatibus arma,
Arma viri, ingeminant, Divûm pro numine læso:

Quos ille egregius veterum contemptor avorum
Insequitur ferro & flammis. Impune per aras

Fuso pontificum violarit sanguine templa,
Cumque sua Belum subverterit impius arce.

Quis vero antiquum furor extinxisse draconem,
Tutelam geniumque urbis? pigra sabbata fervet

Nunc quoque, servilemque Deum recutitus adoret.

His sese exacuit dictis violentia vulgi:
 Nec vanos intra fremitus stetit ira furentum.
 Aulæ ante fores glomerantur, & ariete crebro
 Obnixa assultant postes, Cyroque minantur
 Et caræ pestem soboli: ni dedere dirum
 Festinet caput, & fontis se absolvere pœna.
 Ecquid agat? quamve extremo in discrimine rerum
 Ausit opem sperare, loco indefensus & armis?
 Majestatisne truces animos mollire precando,
 Atque humilem tentet veniam despecta mereri?
 Hoc Daniel vetat, & sese poscentibus ultro
 Objicit instantis fati securus. At illum
 Tristi omnes caveæ (scelerum concordia tanta est,)
 Damnare. Alto veteris sub vertice castris
 Antrum immane fuit, vivoque cubilia saxo,
 Quo septem abdiderant præstanti mole leones;
 Terrorem nemorum quondam, nunc gaudia arenæ.
 Huc infensa senem demisso fune juvenus
 Conjicit: atque feras stimulis & vocibus urget.
 Indignantque suo non respondere furori,
 Corpora bina boum, & totidem de more bidentes,
 Pabula demensumque die, præbere moratur,
 Nequicquam. Impasti senos ex ordine soles
 Duravere famem catuli; rictuque cruento
 Accubuere suæ lambentes oscula prædæ.

Dumque ea Chaldææ pro mœnibus urbis aguntur,
 Forte Habacuc, cui mens arcani conscia fati,
 Rure suburbano patrii Jordanis ad undam
 Venerat, agrestes fessis messoribus æstu
 Alveolo portans, quas ipse intriverat, escas.
 Ecce autem cælo juvenis delabitur ales

*Et dixerunt, cum
 venissent ad re-
 gem: Trade nobis
 Danielem, alio-
 quin interficiemus
 te & domū tuam.*

*Vidit ergo rex
 quod irruerent in
 eum vehementer.*

*Et necessitate com-
 pulsus tradidit eis
 Danielem.*

*Qui miserunt eum
 in lacum leonum,
 & erat ibi diebus
 sex.*

*Porro in lacu erant
 leones septem.*

*Et dabantur eis
 duo corpora quoti-
 die, & duo oves:
 & tunc non data
 sunt eis, ut devo-
 rarent Danielem.*

*Erat autem Ha-
 bacuc propheta in
 Judæa, & ipse co-
 xerat pulmentum,
 & intriverat pa-
 nes in alveolo: &
 ibat in campum ut
 ferret messoribus.*

Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio.

Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui. Et clamavit Habacuc dicens: Daniel serve Dei, tolle prandium quod misi tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel comedit. Porro Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.

Venit ergo rex die septimo.

Ut ligeret Danielem.

Veste in purpurea, radiisque comantibus auro
Lucidus: Et fer, ait, tumidæ Babylonis in aulam
Has epulas, sævo Daniel ubi clausus in antro,
Jeunos inter jejunos & ipse leones,
Dat fidei pœnas & relligionis avorum.
Cui vates: Nec visa, inquit, Babylonis iniquæ
Mœnia sunt, dirum nec quæ via ducat in antrum
Explorata mihi. Sed si tua, sancte, voluntas
Ire iter, ignotisque jubet me credere terris:
Te duce non metuam cuicumque subire periclo.
Talia jactanti dextra caput occupat ales,
Implicuitque comæ digitos: simul ocyor Euro,
Ocyor & penna labentis ab æthere flammæ,
Suspendum, visu mirabile, crine per auras
Fert impune virum, & speluncæ in limine sistit.
Qui longe inclamans: Coeli justissima cura,
Nec frustra obsequio dominum venerate fideli,
Huc ades, ô Daniel, inquit; submissaque dona
Carpe, volente Deo, lætus. Nec plura locutum
Aliger Hebræis extemplo reddidit oris.
Tum senior duplices tendens ad sidera palmas,
Et vultum lacrymis humectans lenibus infit:
Fers tandem auxilium bonus, & solaris amantem,
Nullaque te, genitor, cepere obliviam nostri.
Nec servasse satis tanto è discrimine vitam:
Delicias etiam nova per miracula quæris.
Sic fatus gratis dapibus jejunia solvit.
Septimus interea portas lustrabat Olympi
Aurora præeunte dies. Mœstissima luctu
Atria rex Asiæ linquit mœstissimus ipse:
Lugubremque trahens neglecto corpore pallam,
Inferias vati supremaque dona ferebat.

Pone

Pone subit longum pullis in vestibus agmen
 Quos regis dolor, aut cari miserabile amici
 Pertraxit desiderium. Stant lumine fixo,
 Perque viam solis pandunt singultibus ora.
 Ut ventum ad fauces, atque illatabile limen:
 Ipse intro lacrymis per rimam aspexit obortis.
 Atque ibi secura Daniele fronte tuetur
 In medio, & placidos juxta recubare leones,
 Mulcentes linguis & blandæ verberare caudæ.
 Restitit admirans, rupitque hanc pectore vocem:
 Magnus es, ô mundi suprema & sola potestas,
 Isacidum Deus! ac toto tibi cedere Olympo
 Turba Deum debet, majusque agnoscere numen.
 Sic memorans tetro eductum de carcere vatem
 Excipit, & passis heros complectitur ulnis.
 Nec mora continuò miles ruit agmine factò,
 Scrutaturque domos gladiis, raptatque per urbem
 Auctores primos scelerum insanique tumultus.
 Atque hi, conceptum cœlo ulciscente furorem,
 Et justas referente vices, damnantur arenæ.
 Quo visu horrendum caveis fremuere leones,
 Concutiuntque jubas, durisque in cautibus ungues
 Exacuunt: rediit rabies, cædisque voluptas.
 Jamque feri insiluire: trahunt discerpta virorum
 Corpora, rorantesque molunt sub dentibus artus
 Certatim. Juvat hac solari viscera præda,
 Indictamque sitim grato satiare cruore.

Rex vero magna tactus formidine mentem
 Fatur: eo dicente animis atque auribus astant,
 Et pavidi accipiunt non vana oracula Persæ.
 Audiat hæc quæcumque meis gens addita regnis;
 Seu Nilum, Gangemve bibit, campisque refusum

D

Et venit ad lacum.

Et introspexit.

Et ecce Daniel sedens in medio leonum.

Et exclamavit voce magna rex dicens: Magnus es Domine Deus Daniels.

Et extraxit eum de lacu leonum.

Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum.

Et devorati sunt in momento coram eo.

Tunc rex ait:

Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Daniels.

Euphratem, & rapido spumantem vortice Tigrim;
 Seu tenet Armenia saltus, & Caspia claustra:
 Massagetæ infrænes, picturatique Agathyrsi,
 Extremique hominum Æthiopes, & Achaica tellus,
 Atque Syri, atque Arabes, atque aurea regia Crœsi:
 Auctor ego Cyrus. Solymæ delubra tenentem
 Formidate Deum populi, & placate precando.
 Nam mihi solus erit posthac Deus. Ille leonum
 Bis rabidos ungues & sæva coercuit ora;
 Bis leti Danielelem orci que à limine traxit.
 Vos testes, ut flamma modis innoxia miris
 Ejus ad imperium quondam stetit: utque potentem
 Sæpe manum sensit Chaldæa exterrita monstris.
 Quare agite, huic justum moniti solvamus honorem:
 Nec pudeat noxam patrum absterfisse nepotes.
 Dicta probant omnes: regisque exempla sequuti
 Sacrilegos damnant ritus: victorque Deorum
 Assyria Daniel captivus in urbe triumphat.

*Quia ipse est sal-
 vator, factens si-
 gna & mirabilia
 in terra: qui li-
 beravit Danielelem
 de lacu leonum.*

